

Barrale uxoris sue de universitate Massilie, proposuit coram nobis, quod universitas Massilie iura, que habent et habere debent in civitate Massilie, in castris, villis et aliis locis vicecomitatus Massiliensis et possessionem dicte civitatis Massiliensis, castrorum, villarum et aliorum locorum, que sunt in vicecomitatu ip[sius^a] et reddituum, quos inde perceperunt, reddere contradicunt, detinendo ea in eorum preiudicium manifestum. Nos igitur predicto Hugoni et Barrale uxori sue fidelibus nostris non debentes deesse in eorum iustitia nec volentes, Draconeto Montis Draconi et Blancatio fidelibus nostris dedimus per nostras litteras in mandatis, quatenus dicte universitati Massilie ex parte [nostra^b] iniunge[rent^c] firmiter et mandarent, monentes eos et propensius inducentes, ut infra mensem post amonitionem eorum, coram [idone]is personis Massiliensibus factam, omni occasione remota et appellationis ac recusationis remedio penitus excluso, [dicta univer]sitas Hugoni de Baucio et Barrale uxori eius plene restituant omnia iura sua, que habent vel habere debent [in dicta universi]tate Massilie, castris, villis et aliis locis vicecomitatus Massilie cum redditibus et proventibus inde perce[ptis, vicecomitatu]m civitatis Massilie cum plena iurisdictione et possessionem castrorum, villarum et aliorum locorum, sicut Barralus pater [dicte] Barrale supradicta olim tenuisse et habuisse dinoscitur tempore vite sue. Quod si mandatum nostrum iuxta prefatam amonitionem infra predictum tempus Massilienses non adimpleverint, preter iram et indignationem nostram bannum nostre celsitudinis eos noveritis incurrisse et vos eos habeatis postmodum pro bannitis¹. Mandamus igitur fidelitati vestre et districte precipimus, quatenus, postquam per supradictos fideles nostros vobis constiterit, Massilienses bannum nostrum ut predictum est incurrisse, vos abinde contra eosdem Massilienses dictum Hugonem et Barralam uxorem eius ac filios eorundem in quibuscumque poteritis studeatis, sicut postulaverint, adiuvere, mandatum nostrum taliter exequendo, ut fidem et devotionem [vestr]am possimus exinde mer[it]o commendare.

Datum Baroli 15. madii prime indictionis.

a) *sius* verblasst. b) *nostra* fehlt. c) Hier und fernerhin sind die eingeklammerten Buchstaben nicht mehr lesbar.

1) Nach B. F. 1752 war Marseille im April 1229 gebannt. Offenbar galt nicht mehr jener Bann, der 1225 über Marseille verhängt war. Danach ist Sternfeld, Das Verhältniß des Arelats 59 zu berichtigen.